

Carl - Danckelmann
Conf. Danckelmann

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera;
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Loc. II.

ORATIO

IN QVA REFVTA

TVR CALVMNIA OSIANDRI

reprehendentis promissionem eorum, quibus tribuitur testimonium doctrinae, recitata cum de-

cerneretur gradus Doctori Tilemanno

Heshusio VVesaliensi.



DE COMEDENTI

DE FORTI.



EXIVIT CIBVS,

ET DULCEDO

AVITTEBERGÆ.

M. D. LIII.

*Dns Quirino Diacono
Fr: Bernpeck dt.*

18. 2c

OTTA 110

ANNO 110

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





INITIO tibi omnia ^{intiw omni}
potens Deus æterne Pa ^{potentes a tite}
ter Domini nostri Iesu ^{no Di filio}
Christi, conditor cœli & ^{su u nostro}
terræ, & hominum & aliarum crea
turarum, una cum Filio tuo coæ
terno Domino nostro Iesu Christo
& Spiritu sancto, sapiens, uerax,
bone, iuste, caste, iudex, misericors
& liberrime, gratias ago, quod ha
ctenus inter nos tibi colligis Eccle
siam, & non finis extingui lucem
tuę doctrine, teq; toto pectore oro,
ut propter Filium & per eum dein
ceps quoq; inter nos Ecclesiam col
ligas, & doctrine studia gubernes.
Hæc mecum ardentibus uotis, &
ueris gemitibus omnes petite.

Semper autem Deus uoluit *Semper q3.*
Ecclesijs, adiunctos esse docentium
& discentium cœtus, qui maiore
assiduitate colerent doctrine stu
dia,

A ij dia,

dia, quam reliqua multitudo alijs
occupata negocijs, uult enim con-
seruari libros Propheticos & Apo-
stolicos, literas, linguas, artes quæ
Ecclesiæ utiles sunt, & sunt lumen
uitæ humanæ. Hi coetus bene me-
rentes de toto genere humano, om-
nibus officijs fouendi sunt, sed Ate
Homericæ multos incendit, ut ne-
quidem fideliter seruiantibus in
hac militia parcant, quos utinam
Litæ nostræ, quarum moestitia non
ignota est, placare possent, res qui-
dem ipsa calumnias refutat. Cum
autem Deo qui est καρδιωγνώσεως, uol-
untates nostræ notæ sint, oramus
ipsum, ut & regat nostros labores,
nosq; faciat uasa misericordiæ ac
organa salutaria nobis & alijs, &
leniat ærumnas publicas ac priua-
tas.

Nunc uero de uenenata qua-
dam Osiandri calumnia dicam,
non

non tam defensionis nostræ causa,
qua in re manifesta non opus est,
quàm ut iuniores uetera honesta
exempla audiant & considerent,
quomodo uetustas obligauerit ac-
cessuros ad munus docendi.

Vociferatur enim Osiander
scelus esse, quod in renunciatione
publici testimoniij petimus, ut hi
quibus tribuimus testimoniũ, ad-
firment se amplecti incorruptam
Euangelij doctrinam, & eam sic in-
telligere, ut in Symbolis Apostoliz-
co, Niceno, & Athanasiano cõme-
moratur, & ut in Confessione, quã
Ecclesiæ nostræ exhibuerunt Ca-
rolo Imperatori in conuentu Au-
gustano Anni 1530. recitatur, &
promittant in ea sententia, se Deo
iuuante, constanter perseueraturos
esse, & fideliter facturos officium
in Ecclesia.

A iij Item

Item si incident controuersia
nouæ, de quibus non extant per-
spicua iudicia, ut deliberent cum
alijs senioribus in nostra Ecclesia
& coniunctis.

Hanc nostram consuetudi-
nem reprehendit Osiander, exte-
nuat Symbola, postea inquit consti-
tui Tyrannidem, & sediciosas con-
iurationes, cum nolumus docentes
à Confessione nostra dissentire,
item cum non concedimus singu-
lis ἰδιοβελείῃ & pronunciare suo iu-
dicio de nouis controuersijs. Hæc
sunt capita atrocissimæ crimina-
tionis, in qua non ut Pericles, tonat
& fulminat, sed ut Cleon aut Hy-
perbolus, arroganter & impuden-
ter conuicia & calumnias coacer-
uat. Gloriatur se libertatem retin-
nisse, nec admisisse hæc uincula.
Hi clamores in tanta licentia &

αυγ.

ἀναρχία huius temporis plausibiles
sunt apud multos, qui infinitam li-
centiam sibi sumunt fingendi opi-
niones, & Pyrrhonio more labe-
factādi omnia recte tradita. Sed pii
& prudentes non sine magno do-
lore uident, quid moliatur hæc furi-
osa reprehensio, uidelicet, ut ne ad-
moneantur quidem iuniores &
saniores de modestia. Nam homi-
nes feri, petulantes, inflati admira-
tione sui καὶ τετυφωμένοι, nec his pro-
missionibus, nec alijs uinculis co-
herceri possunt.

Primum autem de autoribus
nostræ consuetudinis, & de eorum
consilio dicam. Non recens â no-
bis excogitata est hæc promissio,
Sed instituta ab hoc collegio ante
annos fere uiginti, uidelicet à Lu-
thero, Iona, et pastore huius ecclesie
doctore Pomerano. Hos integerris

A iiij mos

mos uiros magna iniuria adficit
Osiander, cum serit suspicionem q̄
uoluerint tyrannidem constituere,
cum honestissima causa consilij in
conspectu sit. Et tunc uagabantur
multi fanatici homines, qui sub
inde noua deliramenta spargebāt,
Anabaptiste, Seruetus, Campanus,
Stenckfeldius et alij. Et non defunt
tales furie ullo tempore. Quantum
igitur humana diligentia cauere po
tuit, uoluit hic Senatus bona inge
nia de modestia commonefacere, et
metas ostendere extra quas non te
mere erumpendum esset, uoluit &
frenare, quantū posset, minus quie
tos. Hic mos fuit & Ecclesie uete
ris, in qua nondum tyranni domi
nabantur, et adhuc fontes doctrine
puri erant. Petebatur subscriptio in
Synodis pijs. In Nicena Synodo nō
Episcopi tantum, sed etiam Con
stantinus Imperator sua manu de
cretis

cretis eius Synodi subscripsit.

Nec ad ministerium Euange-
lij admittebantur ulli, nisi præce-
sissent δοκιμασία, seu examen, & ex-
pressa professio, in qua uocati ad
docendum adfirmabant se ample-
cti incorruptam Euangelij doctri-
nā, & promittebant se eam non ab-
iecturos esse. Extant adhuc capita
examinis in Decretis ex Augusti-
no descripta, dist: uicesima tertia,
ubi post commemorationem Sym-
boli, petitur etiam expressa conde-
mnatio errorum, qui eo tempore a
fanaticis hominibus, Manicheis,
Arianis, Nouatianis & Pelagianis
passim circumferebantur, ac nomi-
natim præcipitur inquisitio, An is,
qui ad Ministeriū uocatus est, pro-
hibeat Nuptias, an improbet secun-
dum Coniugium priore coniuge
mortua, & elum carniū. An post
lapsum redeuntes ad poenitentiam

A v recipi-

recipiat. An Originale malum iudicet esse peccatum. An ulli homines extra Ecclesiam sint hæredes uitæ æternæ. De tam multis rebus expressè adseueratiões postulatę sunt. Et Græcus Canon usus est uerbo ἀνακρίνω δωσαρ, quod significat seueram inquisitionem.

Hæc diligentia & tunc Ecclesiæ necessaria fuit, & semper necessaria est, non est tyrannis, quanquã deinde aliquot seculis Romani Episcopi & alij addiderunt iniusta onera & corruptelas. Sed nos abiectis impijs oneribus, tantum petimus ueræ doctrinæ adseuerationem, sicut uetus Ecclesia petiuit, necessariam ad ueram Dei agnitionem & Inuocationem, ad Ecclesiæ concordiam, ad frenandam audaciam fingendi noua dogmata, Hac ipsa adseueratione etiam propter Osian-
drum

drum opus fuit, qui aliquoties mon-
strosas opiniones genuit, quæ tamē
sapientia & pietate Senatus Nori-
bergensis cum à collegio nostro iu-
dicatæ essent, repressæ sunt. Vnde
& has odiij flammæ ortas esse exi-
stimamus. Sed hæc omitto.

Quid est autem aliud hæc no-
stra promissio, nisi confessionis re-
petitio quã extare oportet, ut uera
Ecclesia, ab alijs gentibus discerna-
tur. Deniq; non differt hic ritus ab
exemplo Iosue, qui uocauit popu-
lum in Sichem, et promissionē po-
stulauit, ut uerum Deum agnosce-
rent, & recte colerent.

Non adferam huc aliarum poli-
tiarum exempla, etsi notum est in
omni honesta societate aliqua esse
fœdera, quibus ad certorum offi-
ciorum communicationem homi-
nes

nes obligati sunt, ut apud Xenophontem dicitur, πανταχῶς ὑπὸ τῆς ἑλλάδος δυνάμει κείῃ, τοὺς πολίτας ὁμνύνααι ομοφρονῶσιν. Hęc primum dixi de autoribus nostrę consuetudinis, & de eorum consilio, Nunc uidete singula capitula. Rabiosissime exagitat, quod in controuersijs difficilioribus iubemus, ut deliberent cum senioribus in hac Academia & coniunctis Ecclesijs. Hic tantum deliberationis mentionem facimus, non præcipimus ut quisquam adsentiat, præsertim si dissentiendi causam habet.

Vtrunq; periculosissimum est, præcipitanter iudicare, et ἰδιοβουλῆν. Nota sunt enim dicta, Ad poenitendum properat, cito qui iudicat. Et unus uir non uidet omnia. Minus se uere de nostris cogitationibus iudicamus, & nobis ipsis blandimur. Quare melius est nos diffidentes nostris

nostris iudicijs aliorum peritorum
consilia quoque audire. Traduntur
ergo hæc præcepta in Siracide cap:
vi. Si libenter audies, accipies sapi-
entiam. In multitudine Seniorum
consultito, & si quis est sapiens, ei te
adiungito. Si uideris uirum intelli-
gentem, mane festines ad eum, & fi-
ant attriti gradus ianuæ eius tuis
uestigijs. Ac Paulus manifeste in-
quit, Si fuerit sedenti reuelatum, ta-
ceat prior. Et uult Episcopum non
esse ἀυθαδέκ. Hæc omnia uerissime cō-
gruunt cum hac nostra commone-
factione, quæ deliberare cum alijs
iubet, non iubet esse κωφὸν πρόσωπον,
& pedibus ire in alienam sententi-
am, ut hæc accumulatur homo &
ἀυθαδέκης & amans calumniarum iste
Cleon.

Iubent, inquit, deliberare cum
alijs, Ergo cogunt alijs adsentiri.
Hoc

Hoc attexit calumniose *παρὰ δ' ἐπὶ
μυρίων*, ut alia multa. Nec cogimus
nobis adfentiri quenquam, nec his
aduersamur, qui testimonia Spiritus
sancti habent, Sed in iudican-
do diligentiam, contationem, mo-
destiam, addo etiam confociatio-
nem flagitamus. Nolumus audacia
& *αὐθαδεία* iuniorum deleri Ecclesiae
iudicia, in qua etiam cum uni alicui
fit reuelatio, tamen accedunt testi-
monia, quibus flectuntur aliqui ad
agnitionem ueritatis, ne desint suf-
fragatores.

An talem uult esse Ecclesiam iste
Cleon, ut describit Silenus Cyclo-
pas interrogatus, qualis sit guberna-
tio, cum ait,

νόμαδες, ἀκταὶ οὐδεὶς οὐδὲμ οὐδ' ἐνθ',

Si quis talem confusionē amat,
cogitet scriptum esse, Deus non est
autor

autor ἀνακασαοίας. Item omnia deco-
re & ordine fiant. Quàm multa di-
ci possent de uitanda præcipitantia
in iudicando, & de utilitate delibe-
rationum cum alijs, si opus esset lō-
giore oratione. Sed in re manifesta
non ero prolixior. Tantum hoc pe-
to, ut hunc præstigiatores propi-
us cōsideretis, ac peruersitatem de-
testemini, qua contra conscientiam
suam sophistice deprauat morem
pio & utili consilio institutum, &
multis uiris optimis probatū, quo-
rum salutaris est gubernatio pas-
sim in Ecclesijs et Academijs. Si uo-
luit esse tot Ecclesiarum censor, can-
didiorum animum ad alios docen-
dos adferre debuit, Sed naturam su-
am pingit, cum adeo sepe ea quæ à
nobis recte dicta aut acta sunt, sus-
spicionibus & calumnijs flectit in
deterius, maleuolentiæ suæ morem
gerens.

Àstu

Astute autē Osiander de obligatiōe et de seruitute initio questus est, quia hanc orationem scit multis gratam esse, Sed ipse hæc parerga & proœmia alterius pugnæ esse uoluit. Dissensit à nostris Ecclesijs non modo de Iusticia, sed etiam de Sacrificio, ut in sermonibus suis sæpe significauit. Et habuit alia quædam somnia, quæ nondum proferre ausus est. Ideo Confessionem Augustanam euertere conatus est. De summa doctrinæ bellum mouit, nō tantum de parergis. Vt autem Demosthenes respondit Æschini, tunc cum Respub: ante bellum petiuit consilium, debuisse eum sententiam dicere, post id tempus perinde eum facere, ut facit Medicus accersitus ad ægrotum, cum nihil dedit consilij, deinde sequens funus, ait, Si iste homo hoc & hoc fecisset, non esset mortuus. Ita Osiander tunc cum de
Confessio

Confessione deliberationes essent,
non proposuit suas sententias, nec
formam aliquam scripsit, nec scri-
bentes adiuuit. Tantum ut alij qui-
dam ebrij in conuiujs, moderatius
dicta taxauit.

Tunc in articulo tantæ delibe-
rationis, non debuit Ecclesiæ deesse
se, cum quidem sententiam dicere
iussus esset. Ne postea quidem se as-
peruit annis uiginti. Nunc tandem
ex longo interuallo uelut ex antro
Trophonij prodiens noua oracula
adfert, & exorditur hanc suam
μυσάγωγιαν à criminatione Ecclesia-
rum nostrarum, à uenenatis conuiu-
cijs, & calumnijs. Et tamen si explicite
diceret quid sentiat, audiendus
esset. Sed talis est obscuritas in illis
oraculis, ut illi etiam qui eū amant,
desiderent explicationes. Possem
multa sciscitari, sed ne saucientur te

B nere

*Sumin
articula
ignita et
subitoq.*

*Amis. r.
mundi
trigesimo
quinto r.*

neræ mentes, ταῦτα μοι εἶσομα κείθω,
ut Herodotus dicere solet.

Iactitat se uelut Promethea ignem de coelo attulisse, nouam Iusticiæ definitionem. Iusticia est, quæ efficit ut iusta faciamus. Et eius εὐτράγωνισκῆ iam deducit nos ad Iurisconsultos, monstrat ueterem Simonidis definitionem, Iusticia est constans & perpetua uoluntas suum cuiq; tribuens. His dictis suus locus sane tribuatur, cum de Nouitate seu de obedientia dicitur, Sed non pertinent ad dictum, Iustificati fide pacem habemus. In uero agone & sensu iræ Dei, non hoc disputatur, an iusta faciamus, Sed fatemur nos miseram & pollutam massam esse, & querit mens quomodo accipiat Remissionem peccatorum, ac reconciliationem. In hac lucta Mediator ostenditur, de quo dictum est

est, Noticia Serui mei iusti, iustifica
bit multos.

Etsi autem cum hac consolatio
ne Filius Dei ipse corda erigit & ui
uificat, ac Spiritum sanctum in hunc
qui fide sustentatur, effundit, iam
domicilium & templum Dei est
homo renatus, tamen anteferenda
est obedientia Filij Dei, his ipsis di
uinis actionibus quanquam excel
lentibus, quales in Elia aut Eliseo fi
unt, & retinenda consolatio, pro
pter Mediatorem Deum & homi
nem, tibi credenti imputari iusticia
am. Omitto autem disputationem,
praesertim cum & multa miscuerit
Oslander aliena a proposito, & con
sulto quaedam inuoluta tanquam
aenigmata lectoribus tradiderit,
quae essent $\mu\eta\lambda\omicron\upsilon\mu\ \epsilon\pi\iota\delta\omicron\varsigma$.

Hic uero cum genera doctrinae

B ij rum

rum cōfero, uicem Ecclesiarum no-
strarum doleo, in quas propter du-
as causas facillime incurrunt homi-
nes curiosi, φιλόνηκοι, & contentionū
auidi, quia & totum doctrinæ cor-
pus ediderunt, ac uelut integrum æ-
dificium spectandum ostendunt, et
simplicitatem quesierunt, ut quasi
nudæ, non possint se ambigue di-
ctis inuoluere, cum membra aliqua
cauillationibus concutiuntur. Fa-
cile est autem integrum ædificium
intuentes inuenire aliquid quod re-
prehendi possit. Et facilius est cum
omnia euoluta & quasi nuda spe-
ctantur. At illi Critici astute cauēt,
ne totum corpus doctrinæ edant,
ne de ipsis iudicari possit, deinde eti-
am si quid dicunt, miscent ambigua
& figuras, ut habeant receptus et κρησ-
φύγετα. Nos miseri plectimur, quia
tales latebras non habemus. Ut au-
tem facilius & tutius est unum aut
alte

alterum uersum in Vergiliij *Aeneis* *Alota*
de reprehendere, quàm integram
Aeneidem scribere, ita facile & sine
periculo arripiunt alij alia mem-
bra ex nostra doctrina, & ea cauil-
lantur, ac sepe horribilia dissidia
multarum gentium oriuntur initio
à leuissimis calumnijs, ut hæc mala
in uersu Empedoclis describuntur,
φοιτᾶ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακία.

Edidit ante triennium Osian-
der scriptum sediciosum, ubi suo
more, ut Gorgias aut Hippias ini-
tio prece est suæ sapientiæ, & alios
uituperat, inquiēs se legentem alio-
rum scripta de politico ordine &
Magistratibus, uidisse eos nihil in-
telligere. Sed se mysteria hæc pate-
facturum esse. Postea inquit, Solius
Dei esse Imperia, & tantisper homi-
nes tolerandos esse in gubernatio-
ne, donec sunt organa Dei. Cum

B iij non

non sunt organa Dei, armis eos ex-
cutiendos esse. Etsi subtiliter hoc di-
ci uidetur, tamen periculosa est ora-
tio, Sed si quis contradiceret, pro-
pter ambiguitatem non deessent la-
tebræ & κρησφυετα.

Cum igitur Osiander nec inte-
grum doctrinæ corpus recitauerit,
nec se euoluerit, & in sermonibus
suis significauerit se in multis rebus
à nobis dissentire, non moueamur
eius censura ut hoc simplex & per-
spicuum doctrinæ genus, quod mul-
tarum Ecclesiarum testimonia ha-
bet, quæ sunt uox Spiritus sancti,
abijciamus. Sed pijs mentibus hoc
doctrinæ corpus tueamur, & Fili-
um Dei oremus, qui protulit Euan-
gelium ex sinu æterni Patris, & est
doctor & custos Ecclesiæ suæ, ut
ipse nos doceat & gubernet, & Spi-
ritu suo sancto copulet animos do-
centis

centium ut in ipso unum simus, nec
dissidijs ledatur gloria Dei, nec tur-
betur Inuocatio, sed semper inter
nos colligat Ecclesiam, cui in omni
æternitate suam sapientiam, iustici-
am & læticiam communi-
cet, et que uicissim eum
uera gratitudine le-
ta celebret, Amē

Dixi.

VERBA PRO

missionis.

Reuere[n]de Domine doctoran[de],
de, Vos in hoc coetu coram Ec-
clesia affirmatis uos amplecti do-
ctrinam Euangelij incorruptam, si-
cut in libris Prophetis & Aposto-
licis tradita est. & hanc ita intellige-
re, ut in Symbolis Apostolico, Ni-
ceno, & Athanasiano recitatur, &
sicut repetita est in Confessione que
Imperatori Carolo in Conuentu
Augustano anni M.D.XXX. ex-
hibita est. In hac ueræ doctrine pro-
fessione, Deo iuuante, in omni æterni-
tate uos perseueraturos esse promit-
tetis. Promittetis item uos fideliter
Ecclesie seruituros esse. Et si quæ
incident controuersie nouæ, de qui-
bus non extant perspicue dijudica-
tiones adprobatae, uos non pronun-
ciaturos esse, nisi rebus deliberatis,
cum

cum senioribus in hac Academia
& aliquibus coniunctis Ec-
clesijs, ubi periti Docto-
res præsunt.

Adfirmo & pro-
mitto.

B V O R A

O R A T I O
D O C T O R I S T I
L E M A N N I H E S H V S I I
V V E S A L I E N S I S .

NON dubium est singu-
lari consilio Dei in Eccle-
sia constitutum esse, ne
ulli admittantur ad Eu-
angelij ministerium, nisi præcedat
exploratio morum & doctrine. Ac
optandum erat eam explorationem
gubernatores serio curare. In Aca-
demijs exemplum uetusti moris re-
tinetur cum publice in magna fre-
quentia disputare & dicere cogi-
mur. Cum igitur deceat me non de-
fugere explorationem, etsi mea in-
firmitas mihi non ignota est, tamen
non recusavi & disputare & hoc lo-
co dicere. Hac autem me consolatio-
ne confirmo, q̄ scriptum est, Ex ore
infan-

infantium & lactentium perfecisti
laudem. Vere sumus infantuli omnes,
Non potest enim penitus cerne
re Deum ullius creaturæ sapientia,
Sed agamus gratias Deo, q̄ tamen
& lactentes sumus ac plantulæ, quę
aluntur lacte & riuulis sapientiæ
Dei, ut aliqua in creaturis uera Dei
noticia luceat. Oro igitur Filium
Dei Dominum nostrum Ihesum
Christum, ut me & alios doceat, &
gubernet, & faciat me uas miseri-
cordiæ & organum salutare Eccle-
sia & meæ animæ. Cumq̄ hic ne-
cesse sit me aliquid dicere, iuxta mo-
rem Academiæ quo fit doctri-
nę exploratio, dicam aliquid de hac
admiranda narratione in Iohanne,
Et uerbum caro factum est. Etsi e-
nim breuitas temporis non multa
concedit dicere, tamen cum huius
tantæ rei cogitatio sepe repetenda
sit, nunc quoque grata sit hæc com-
memora

memoratio. Nulla ætas satis longa
est ad exhauriendam doctrinã, quæ
in hoc dicto proponitur. Sed in Ec
clesia cœlesti in tota æternitate hæc
sapiētiam discemus. Et tamen uult
Deus initia & quasi prima elemen
ta disci in hac mortali uita, uult nos
de Filio testes esse contra maliciam
Diabolorum & contra organa eor
um, uidelicet contra omnes qui Fi
lium aspernantur, ac præcipue qui
contrarias religiones comminiscun
tur, contra ethnicos, hereticos, Ma
hometistas et Papistas. Cum autem
simus infantuli primum uocabula
discamus. Certum est λόγος hic intel
ligi Filium Dei qui est coæterna
imago Patris, nec est umbra euane
scēs, sed Persona, seu ut rectius Gre
ci dicunt, est ἡφιστάμενον. Sed mirum
est, cur hæc persona nominetur
λόγος. Optarim ueteres in hac expli
catione fuisse copiosiores. Basilus
& Au

& Augustinus tantum hoc dicunt,
Nominatur λόγος quia cogitatione
nascitur. Pater enim sese intuens gi-
gnit imaginem sui, genita uero Ima-
go cogitatione λόγος est. Estque inte-
gra Patris Imago. Credo recte hæc
dici. Sed sic nominatur λόγος, tan-
tum respectu Patris. Narrationes
in Iohanne significant λόγος dici res-
pectu creaturarum & nostri, quia
Filius sic nobis patefactus est, quod per
eum Pater dicit decretum et totum
ordinem creationis & reparationis
hominum, & quod hæc Persona mitti-
tur ut proferat Euangelium ex sinu
æterni Patris, conseruet ministeri-
um Euangelij, & dicens consolatio-
nem in cordibus nostris, ostendat
Patrem, uiuificet nos, et nos sibi ad-
similet ut restituatur Imago Dei in
nobis. Hæc proprie fiunt per hanc
Personam, quæ est λόγος, quæ tunc
& Spiritu suo lætitiæ & motus in
cordibus

cordibus accendit. Hæc doctrina
de appellatione τῷ λόγῳ reuerenter
& pie cogitanda est, & orandus est
ipse ut nos doceat. Deinde & hoc
cōsideretur quare hic λόγῳ adsumps
erit humanam naturam. Non Pa
ter, non Spiritus sanctus. Athanas
sius ait, quia cōgruebat hanc perso
nam quæ proprie est Imago æterni
Patris adsumere humanam natu
ram, cum in nobis restituenda sit I
mago Dei. Cogito & hoc, congrue
re, ut ea Persona adsumat humanā
naturam quæ est monstratrix Dei.
Sermo autem monstrat aliquid, Er
go & per Filium prolatum est Eu
angelium, & ut uerbo conditi su
mus, ita uerbo rursus uiuificamur.
Sicut & in Psalmo dicitur; Misit
uerbum suū, & sanauit eos. Ita scia
mus hanc Personam in credētibus
non esse ociosam, Sed uere præsen
tem & in nobis efficacem esse uoce
Euan

Euangelij, & accendere corda Spi-
ritu suo sancto, ut motus habeant
congruentes luci & agnitioni Dei.
Non possunt autem hæc iam in hac
breuitate temporis copiosius expo-
ni, sed et sepe repetenda sunt cogita-
tione, et alio tempore longiori ora-
tione illustranda sunt. Nunc toto
pectore oro ipsum Filium Dei Do-
minum nostrum Iesum Christum,
qui ait, Ego sum uitis, uos palmi-
tes, ut nos doceat, & sua luce
faciat nos palmites ipsi
placentes & ube-
res. Dixi.

EX OFFICINA CRATO-
NIANA, MENSE
MAIO.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

EX GEFICINA GRATIA
RIANA MENSE
MAIO



Ad dictum Chi Ne
Sitis Solliciti matth. 7

Quam sit ^{in se} praesidium ^{in se} humanum sine robore omni

Quae timida a longe pectora firmet, ope

Hic docet; ^{in se} hoc sapiens ^{in se} arcano dogmate Christus.

Sollicitos homines ^{in se} dicit ^{in se} vultat esse Deis

Namque pater, ^{in se} vigili ^{in se} quae prospicit omnia cura,

Fidentes alia nos ^{in se} ratione ^{in se} movet.

^{in se} Mente Deo ^{in se} fisa, ^{in se} tu ^{in se} nullo ^{in se} munere ^{in se} fungi

A ^{in se} suesce, ^{in se} Eventum ^{in se} proini ^{in se} Deus ^{in se} ille ^{in se} dabit

Et ^{in se} illi ^{in se} proprium ^{in se} est ^{in se} soli, ^{in se} quo ^{in se} d ^{in se} nuntius ^{in se} et ^{in se} omnis

Ex ^{in se} sese, ^{in se} ut ^{in se} capiat, ^{in se} sculpere ^{in se} nescit ^{in se} homo.

Ille ^{in se} fidem ^{in se} occulto ^{in se} crescentem ^{in se} numine ^{in se} donans.

An ^{in se} riferi ^{in se} similem ^{in se} fluminis ^{in se} esse ^{in se} facit.

Ergo ^{in se} fides ^{in se} animi ^{in se} christum ^{in se} comp ^{in se} hendere ^{in se} docet;

O ^{in se} homo, ^{in se} sit ^{in se} vite ^{in se} regula ^{in se} certa ^{in se} sine.

Nulla ^{in se} tibi ^{in se} decerunt ^{in se} sic ^{in se} grata ^{in se} commoda ^{in se} vita.

Nam ^{in se} bona ^{in se} quae ^{in se} nescis, ^{in se} sponte ^{in se} dat ^{in se} ipse ^{in se} Deus.

Lilia ^{in se} qui ^{in se} nitidis ^{in se} ^{in se} regaliter ^{in se} ornant ^{in se} in ^{in se} hortis.

Et ^{in se} decus ^{in se} ignaris ^{in se} floribus ^{in se} esse ^{in se} facit.

Ille ^{in se} bonis ^{in se} omni ^{in se} sibi ^{in se} succedentibus ^{in se} hora.

Fidentem, ^{in se} patria ^{in se} te ^{in se} cumulat ^{in se} ope.

Hoc supra captum est hominis sed discere uocantij ^{Deo}
 Fidere, sic omni tempore diues eris

AD Dominum Christi eo.
dem capite: **Quicite**
primum regnum Dei &

Disce Deum toto nemerari corde inuentus.
Illius e uero inssa timore sequi.

Cura sit inde fidi tibi ciuili proxima uita
In patriam, inq homines que iubet esse pira
Sit tibi, que cupies, feliciter omnia cedent,
Omne erit e dum dulce laboris onus
Quare Deum pri mum, si omnia diues habebis
Ante homines notj compos e ante Deum

Stigelius

Apostol Paulus est natus ex stamiate
Beniamin enim hebricos e hebricum
De enim pater ipse phuriseos e Romanis
Cives fuit ipse praelaris urbe Cilicia
Trazo qui enim colonia ille Romanos fuit
est a quo Steabo inticat ut se primam
Arginum concordant postquam autem contra
pei Sardinia palum inticat ezant esse e
Scribat istuz ab sib ita e

Apud ~~in~~ ad trazo est stitio philosophia

Cont.

in

et

ebis

le

omis

ia

fuit

in

contra

et



^T
I. Scherckmanns Leben Das ist der
Gottliche Wort des heiligen Geistes
in der Welt zu den zeiten des heiligen Geistes
in der Welt zu den zeiten des heiligen Geistes

Mo
it
br

Jc 1942

ULB Halle

3

005 000 335




Jc

M.C.







ORATIO

IN QVA REFVTA

TVR CALVMNIA OSIANDRI

reprehendentis promissionem eorum, quibus tribui-

tur testimonium doctrinae recitata cum de-

cerneretur gradus Doctori Tilemanno

Heshusio VVesaliensi.



DE COMEDENTI

DE FORTI.



EXVITCIBVS,

ET DVLCEO

WITTEBERGÆ.

M. D. LIII.

*Dns Iuueno Diacono
Fr: Bernperck dt.*

18. 22

